

Actum in Arce Cernensi Feria Sexta post Octavas Festi Sacratissimi Corporis Christi Domini proxima, Anno Ejusdem Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Primo.

Ad Officium et Acta presentia Castrensia Capitanealia Cernensia personaliter veniens Illustris Admodum Rndus Joannes Ryter Viceprepositus Calvariae Gorensis infrascriptam Concordiam seu Complanationem inter Illustrem et Adm Rndum Martinum Luba Calvariae Gorens Clericorum Saecularium in Communi Viventium Praepositum, et Admodum Reverendos Patres Cornelium Karpinski Rectorem Collegij Gorens et Felicianum Mizerski Scholarum Piarum Provinciae Polonae Generalem Procuratorem de data ejus Varsaviae Die Vigesima Quarta Mensis Maij Anno Pnti initam et confectam manibus tam eorund Complanantium quam Illustrissimorum Rndissimor Amicorum proprijs subscriptam ac sigillis Gentilitijs in Cera rubra expressis communitam, una cum approbatione per Illustrissimum Sacrae Sedis Apostolicae Nuntium facta, et sigillo Sacrae Sedis Apostolicae communita Officio praesenti et actis ejus ad inserendum obtulit de Tenore Sequenti = Mediante Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum Amicorum infra subscriptorum authoritate ac Eorum arbitrio, inter Illustrem Admodum Rndum Martinum Luba Calvariae Gorensis Clericorum Saecularium in Communi Viventium Praepositum, Bonorum Oppidi Gora cum attinentijs Fundationalium una cum sua Communitate Haeredem suo et totius Communitatis Clericorum Saecularium in Communi viventium pro quibus pacem et Securitatem cavet, ac se in

scribit

scribit ex una, et Admodum Reverendos Patres Cornelium Karpinski Rectorem Collegij Gorensis Bonorum Lubkow Oppido praedicto Gora adjacentium itidem Fundationalium una cum suo Collegio Haeredem et Felicianum Mizierski Scholarum Piarum Provinciae Polonae Generalem Procuratorem, Specialem facultatem de Actu et data Die Septima Februarij Varsaviae Anno Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Octavo, à Reverendissimo Provinciali ad infrascripta habentes, suis et totius Collegij Gorensis Scholarum Piarum Nominibus /: pro quo pariter pacem et securitatem cavent :/ agentes ex altera Partibus, sit ejusmodi perpetuis temporibus inviolabilis Complanatio et Dispositio in hunc modum. Quod Partes moderne ex munifica gratia Piae Memoriae Illustrissimi et Reverendissimi Domini Stephani de Magna Chrzastow Wierzbowski Episcopi Posnaniensis separatas et quidem Collegium Scholarum Piarum de Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Quinto, jam vero Communitas Clericorum Saecularium Locum et Jura Congregationis Sancti Philippi Nerei possidens de Anno Millesimo Sexcentesimo Septuagesimo Octavo in Bonis praedictis cum Descriptione Limitum et circumferentiae Bonorum cuilibet donatorum habendo Fundationes, quae Fundationes Comitialibus Regni firmatae sunt approbationibus: Verum quoniam signa aliqua Limitum mediantibus dictis Fundationibus descripta injuria temporum obliterata extiterunt, et hac de Causa uti etiam et ex Limitum expressione in Donatione Praedij Lubkow coram Actis Castrensibus Cerniensis Feria Quarta post Festum Sancti Lucae Evangelistae Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo Secundo per Eundem piae memoriae Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Episcopum Posnaniensem Collegio Gorensi Scholarum Piarum post Erectiones facta Lites juridicae ac Processus per varia Subsellia Spiritualia et Saecularia ab Anno Millesimo Septingentesimo Quadragesimo Secundo per Collegium Gorense Scholarum Piarum de proprietate praetensorum Fundorum originaliter in Consistorio Varsaviensi inchoatae ac decisae et expost per viam appellationis in Sacra Nuntiatura in reliquo ad Sanctam Sedem Apostolicam deductae, hocque stante non determinato in Foro Spirituali Processu, denuo in Anno Millesimo Septingentesimo

Quinquagesimo

Quinquagesimo Quarto ad Tribunal Regni Petricoviense versae, et in utroque Foro ad hoc usque contra Illustrem Praepositum Calvariae Gorensis et Communitatem Clericorum Saecularium in Communi viventium promotae, suscitatae sunt, expost Decreto Condescensoriali in Fundo Bonorum Oppidi Gora et Lubkow Die Vigesima Secunda Augusti id est Feria Secunda ante Festum Sancti Bartholomaei Apostoli proxima Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Septimo ex mente Decreti Tribunalis Regni Petricoviensis in Contumaciam subsecuto, et ad Acta Castrensia Varsaviensia Sabbatho post Festum Sancti Francisci Confessoris eodem Anno per Oblatam porrecto resoluta sunt, ac per consequens in poenalitatibus eodem Decreto Contumaciali liquidatis, Traditio Bonorum Grobi cum attinentijs et Ostrowek ad Acta Castrensia Cernensia Feria Quarta ante Festum Nativitatis Beatissimae Virginis Mariae Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Octavo porrectae favore Collegij Gorensis Scholarum Piarum pariter Magnifici Krajewski Instigatoris Regni et Generosi Modzelewski Camerarij Granicialis Terrae Cernensis subsecuta est, in virtute cujus eidem Domini Instigator et Camerarius Possessioni Bonorum traditorum praeter Villam Ostrowek jam restitutam, adusque insistunt. Iam autem Illustris Praepositus Calvariae Gorensis cum Sua Communitate Decreta Fori Spiritualis ad Autoratum etiam Collegij Gorensis Scholarum Piarum exportavit et ita usque ad hoc tempus Partes praesentes utrique Authoritati Decretorum utriusque Fori innituntur et insistunt animadvertentes, Nihilominus eaedem Partes utraeque ulteriores ex ijsdem Litibus et Processibus emersuras Consequentias difficultates et Molestias, evitandoque ulteriores impensas, prioribus prae oculis habitis non solum Omnes injurias ab utrinque habitas precio dulcis pacificationis et respectus gravium Illustrissimorum et Reverendissimorum Amicorum remonstrantionum perpetuae committunt oblivioni, sed etiam propter velociorem et optatiorem finem Differentiarum praedictarum mediante eorundem Illustrissimorum Amicorum Authoritate sic in praemissis conveniunt. Et Imprimis quod attinet Fundum ad Moczydlow Villam Calvariensem in quaestione existentem, et juxta Decretum Condescensoriale Anni Millesimi

Septingentesimi

Septingentesimi Quinquagesimi Septimi supra de Actu expressum in Contumaciam Subsecutum, Scopulis Signatum Decreto vero Fori Spiritualis Illustri Praeposito Calvariae Gorensis adjudicatum, hunc Pars utraq non obstantibus Decretis Condesensorialibus Contumacialibus in aequales Duas Partes dividi inter se permittunt recta linea ad Scopulum ultimum penes Vistulam extructum et sistunt eoq intuitu simul fine Signationis novae in Fundum Fossatum in Spatio Quatuor septimanarum à Data inferius expressa Generosum Camerarium Terrae Czernensis seu cujuscunq Districtus expetere et conducere mutuo Sumptu et curis promittunt. Eodem ipso tempore Fundus ab Oppido juxta juxta anteriora Signa ex vi Memorati Decreti Condesensorialis erecta per eundem conducendum Generosum Camerarium Terrae Czernensis signabitur, secundum quam utriusq Fundi Signationem Partes praedictae cum Suis Successoribus perpetuo et inevitabiliter usum habere et conservare obligantur. Quod attinet Villam Grobice cum attinentijs in virtute Traditionis superius expressae per quemcunq illa Possideatur, tum respectu poenarum Condemnationum ac quorumvis Lucrorum per Tribunal Regni Petricoviense et Condesensiones Magnifico Instigatori Regni et alijs Saecularibus adjudicatorum Patres Gorenses Scholarum Piarum religioso verbo Spondent se non modo non praepedituros finalem Quietationem inter eosdem verum fideliter sincerè ac optima fide ad plenam de quibusvis Actis Officiosis Compositionem Illustrem Praepositum per Instantias apud Magnates Regni adjuturos, et omni meliori modo acturos, ut ut praefata Villa Grobice cum inseminationibus hyemalibus et aestivis totoq rei oeconomicae ac Familiaris Inventario indilate in Actualem Possessionem realiter et in effectu Reverendis Calvariensibus restituatur. Et Illustris Praepositus Calvariae Gorens à Calculatione ex ijsdem Bonis recedit, eandemq non exigit, Praedium vero Ostrowek in Possessione Collegij Gorensis in virtute ejusdem ipsius memoratae Traditionis antehac existens siquidem Illustri Praeposito in Actualem Possessionem est restitutum et redditum. Proinde Collegium Gorense Scholarum Piarum nullam respectu ejus impetitionem habebit, quinimo Illustris Praepositus à Calculatione Proventuus etiam quo ad idem Praedium pertinet recedit. Recompensando autem Illustris Praepositus Calvariae Gorensis Cauponam demolitam, Summam Trium Millium Quingentorum

Florenorum

Florenorum Polonicalium Currentis in Regno Monetae deponit apud Illustrissimum Reverendissimum Dominum Nuntium Sacrae Sedis Apostolicae, quam tamen Summam in deposito locatam post restitutionem ejusdem Villae Grobice à Domino Camerario nec non Subsecutas ab omnibus Saecularibus Quietationes idem Reverendus Dominus Praepositus, tenebitur statim sine ullis diffugijs ad Manus Reverendi Patris Gorensis exsolvere. Hinc igitur Partes praeexpressae permissione Illustrissimorum et Reverendissimorum Dominorum Amicorum et Mediatorum tale inter se constituentes perpetuum et nunquam violabile moderamen, de omnibus generaliter Processibus, Decretis, Rigoribus, adjudicatis in utroq Foro respectu memoratorum rerum subsecutis simul de praetensionibus quibusvis ab utrinq ad hodiernam Diem intervenientibus, nihil sibi, aut suis Successoribus praecustodiendo nec reservando non solum se praesenti quietant ad invicem Complanatione sed etiam seorsive tam in Actis Sacrae Nuntiaturae aut Consistorij Varsaviensis respectu Processuum Spiritualium quam etiam in Castro Czernensi respectu Processuum et Decretorum Saecularium simul de omnibus hinc pullulantibus praetensionibus indilate mutuo et ab invicem se se quietare intra Spacium Duarum Septimanarum à data praesentis Complanationis computandarum Officiosè debebunt. Quam quidem Complanationem et illius omnes Conditiones Pars utraq tam in toto quam in quolibet ejus puncto sub Vadio Trecentorum Aureorum Hungaricalium servare et adimplere se se obligat, ratione cujus in casu non adimplementi Forum Sacrae Nuntiaturae peremptoriè absq quibusvis Dilationibus et diffugijs sibi assignant. Et hanc Complanationem ad majorem Valorem et certitudinem manibus proprijs et Illustrissimorum Amicorum subscriptam, ad approbandum et authorisandum Illustrissimo Domino Nuntio Sacrae Sedis Apostolicae porrigunt. Actum Varsaviae Die Vigesima Quarta Mensis Maij Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo Primo. Martinus Luba Praepositus Calvariae cum paragrapho manu propria. Cornelius Karpinski Collegij Gorensis Scholarum Piarum Rector cum Paragrapho manu propria. Felicianus Mizerski Procurator Provinciae manu propria. Michael Wodzicki Episcopus Premisliensis Procancellarius Regni manu propria. Locus Sigilli Stemmatis Gentilitij in Cera rubra expressi

expressi. Josephus Kierski Episcopus Bolinene Suffraganus Prepositus Cathe-
dralis Posnaniene Supremus Regni Secretarius ad premissa Amicus ro-
gatus manu propria. Locus Sigilli Stemmatis Gentilitij in Cera rubra
appositi. Antonius Eugenius Viecomes, Dei et Apostolice Sedis Gra-
tia Archi Episcopus Ephesinus Sanctissimi Domini Nostri, Domini
Clementis Divina Providentia Pape ejus Nominis Decimi Tertij
Prelatus Domesticus et Assistens ejusdemque et Sacre Sedis Aposto-
lice in Regno Polonie, et Magno Ducatu Lithvanie cum facultati-
bus Legati de Latere Nuntius. Universis et singulis quorum in-
terest aut interent. Significamus Quia Nos visis et lectis presentibus
Literis Concordie seu Complanationis inter inter Superius Subscriptas
Partes ut pote Illustrem et Admodum Rndum Martinum Luba Prepositum
Calvarie Gorensis Clericorum Secularium in Communi Viventium ex una
et Admodum Reverendos Patres Cornelium. Karpinski Rectorem Collegij Gorensis
et Felicianum Mizierski Procuratorem Provincie Polone Scholarum Pia-
rum Specialem, ex altera Partibus suis et suarum Communitatum Nominibus
initæ et concluse manibus earundem Partium nec non Illmorum ac Rndis-
simorum Dominorum Mediatorum et Amicorum subscripte et sigillis com-
nite eandem Concordiam Compositionem seu Transactionem instantibus supra
expressis Partibus coram Nobis personaliter Comparentibus in Omnibus et Sin-
gulis illius punctis Articulis Clausulis et Conditionibus universis Autho-
ritate Apostolica approbamus confirmamus ratificamus roburq perpetue
firmitatis desuper apponimus per presentes in quorum fidem & Datum
Varsavie Die Vigesima Sexta Mensis Maij Anno Domini Millesimo
Septingentesimo Sexagesimo Primo Antonius Eugenius ArchiEpisco-
pus Ephesinus Nuntius Apostolicus Locus Sigilli Sacre Nuntiature
Petrus Jastrzemski Cancellarius. Post cujus quidem Concordie seu Com-
planationis in Acta presentia ingrossationem Originale ejusdem Compla-
nationis Idem Offerens ad se rursus recepit ac de recepta Officium presens
quietavit quietatq presentibus

Ex Actis Castrensibus Capitlis
Cernensibus rescriptum.
Extt Cebulski

Lectum per Magnuszewski
cum Originali

Concordiae seu Complanationis
inter Illustrem Adm. Rndum Lubecz
Praepositum Calvariae Gorenz. ac Adm.
Rndos Cornelium Karpinski Collegii
Gorenz. Sch. Piarum et Mirzienski Pro-
curatorem Provinciae Poloniae una
cum approbatione per Illmum D. Nun-
tium Sacrae Sedis Aplicae intuitu Gra-
niciarum confecta et subscripta
per Praemissas Partes.

Oblata

In Arce Cernensi Ao
Dni 1761mo